Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

ANETHO,

QUAM

SUB AUSPICIIS DIVINIS

AUTORITATE ET CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,

In Alma Argentoratenſium Univerſitate,

PRO LICENTIA,

SUPREMOS IN ARTE SALUTARI HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE ATQUE LEGITIME CAPESSENDI,

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

JOH. BAPTISTA KARCHER,

Seleſtadienſis.

Ad Diem 12 Menſis Maji M DCC XXXIV.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

Typis Joannis Francisci Le Roux, Almæ Univerſit. Cathol. Typogr.

LXI.

PRÆFATIO.

QUOD *generatim* ARISTOTELES 2. Metaph. c. I. *pronunciavit: Intellectum noſtrum ſeſe habere ad res cognoſcendas, ſicut veſpertilionum oculos ad lumen diei; id imprimis in Medicinâ verum eſt, & adeò verum, ut quamvis in unicâ ſaltem illius parte rectè cognoſcendâ plures deſudaverint, & ſinguli totam propemodùm vitam inſumpſerint, ad talem tamen ac tantam rerum notitiam pervenire neutiquam potuerint, quin multa poſteritati inveſtiganda reliquerint. Ut de Botanico ſtudio ſolummodò dicam, nemo facilè negabit, amplitudinem ejus tantam eſſe, ut nullius hominis vita ad ſcientiam talem penitùs luſtrandam ſufficiat. Quod, licèt aliquem à tractatione hujus ſtudii abſterrere poſſit, ejus tamen tanta eſt dignitas, tanta pulchritudo, tanta jucunditas, ut cunctos in ſui admirationem & contemplationem rapiat, omneſque ſe ſatis feciſſe putent, ſi in re tam arduâ etiam aliquid voluerint & conati ſint, & minimam quandam partem cognoverint. Quod ipſum, cum & in me amorem & deſiderium plantas contemplandi excitaverit, calcar quo-*

que addidit, *Diſſertationem inauguralem*, permiſſu & aſſenſu Gratioſæ Facultatis Medicæ, de Anetho, Plantâ quidem vulgari, aſt viribus inſignibus pollente, conſcribendi. Quam quidem ſacrâ ductus Religione offero atque conſecro Tibi UNIVERSORUM CONDITOR DEUS, à quo Scientiæ & bona cuncta procedunt, & cujus inviſibilia à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, per ipſas quoque plantas, intellecta conſpiciuntur, enixis à te precibus efflagitans, ut, qui Medicum propter neceſsitatem ſuccurrendi tot tantisque, quibus genus humanum affligitur morbis, creâſti, mihi in omnibus tum præſentibus tum futuris laboribus, ſtudiis atque conatibus ita clementer aſſiſtere digneris, quò ad Sacroſancti Nominis tui gloriam, nec non meam proximique ſalutem feliciter ac proſperè ſuccedant. Secundo loco, Theſes has Patriæ meæ amantiſsimæ, inclytæ nimirum ALSATIÆ, ac ſpeciatim URBI SELESTADIENSI, quæ me primùm fovit, in quâ educatus prima quoque literarum & ſtudiorum principia didici, debito quodam, & ex innatâ animi propenſione do, dico, dedico. PRÆCEPTORIBUS itidem meis, nec non PARENTIBUS, ac AMICIS omnium ordinum obſervantiſsimis, omni, quo poſſum, gratitudinis, pietatis, ac humanitatis ſtudio hanc eandem diſſertationem pariter oblatam cupio, maximam gratiam me reportaturum exiſtimans, ſi ab iis conatus meos probari intellexero.

I. N. J.

§. I.

DE ANETHO verba facturus, ante omnia, quibus vocibus inſigniatur, undèque nomen acceperit, oſtendere libet. Varias denominationes obtinet vegetabile noſtrum. Appellatur à DIOSCORIDE græco idiomate Ἄνηθον, ab ἄνω θεῖν, quod ſatum citò creſcat; dicitur quoque Ἀνήκηθον, πολχίδος; Γόνος Κυνοκεφάλου, τρὶξ κυνοκεφάλου; Latinis audit Anethum, Anicethum, Genitura Cynocephali, & Capillum Cynocephali. PAULUS ÆGINETA vocat illud Anemium; JOANNES BRUYERUS verò Eſcarlatæ & herbæ Tholoſanæ nomen ipſi addit: Germani, Dill/ Till/ Garten-Dill/ Dillen/ Till-Kraut/ Hoch-Kraut. Galli *Aneth*, nuncupant. De cauliculo adhuc notandum, quod NICOLAUS MYREPSUS illum appellitet Ἀνηθόξυλα; LEONARDUS FUCHSIUS verò per hoc vocabulum ſubſtantiam po-

tiùs radicis intelligat, cui liti me non immiſceo. Plura ad Onomatologiam ſpectantia lubens prætereo. Evolvi hac de re meretur REMBERTI DODONÆI *Stirp. Hiſtor. Pempt.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. & JACOBI THEODORI TABERNÆMONTANI, *Herb. nov. p.* 165.

§. II.

Alias quoque plantas Anethi nomine inſigniri conſtat: Sic Meum foliis Anethi C. B. dicitur Anethum ſylveſtre, Anethum urſinum, Anethum tortuoſum, **wilder Dill/ Bären-Dill.** Peucedanum majus Italicum C. B. eſt Anethum cœleſte, **Himmel-Dill.** Chamæmelum fœtidum, ſeu cotula fœtida nominatur Anethum caninum, **Hunds-Dill/ Krotten-Dill/ Küh-Dill.** Coriandrum minùs teſticulatum C. B. Cimicum Anethum, ſeu Anethum Cimicarium, **Wantzen-Dill/** appellitant.

§. III.

Miſſis pluribus his plantarum ſpeciebus, quibus impoſitum Anethi nomen plus minuſve competit, reali potiùs examini me nunc accingo. Quandoquidem verò non una, uti vidimus, planta eſt nomine iſto veniens, opportunum erit, illam præ cæteris ſpeciem, de quâ hìc agitur, paulò pleniùs deſcribere, & ſecundùm partes formam ejus explanare. Anethum noſtrum in hortis ſimul cum oleribus ſeritur: cubitali, ſecundùm DODONÆUM, aut procerio-

re cauliculo terete ac geniculato conſurgit; foliis tenuiſſimè diſſectis, parvis, illis fœniculi haud multùm abſimilibus, & in ſtamina penè extenuatis: floſculis in muſcario luteis: ſemine deinde rotundo, plano, tenui, ac foliato: radice fibroſâ. Graviter unà cùm floribus ac ſeminibus odoratum eſt, diſtinctu itidem cum fœniculo difficile, niſi quod guſtus Anethi fortior ſit, & colore minùs, quàm fœniculi, folium hujus vireat. NICOLAS DE VILLE, *hiſt. des Plantes*, vegetabile ſequentem in modum deſcribit: *L'Aneth fait une tige ronde, noüeuſe, branchuë, d'une coudée & demi de haut; ſes feüilles ſont menuës, quaſi ſemblables à celles du fenoüil, ſa graine menuë, large & comme feüilluë, ſa racine eſt ligneuſe, & n'eſt pas fort longue; il reſſemble au fenoüil, & eſt très-mal aiſé à diſcerner, ſi ce n'eſt au goût, qui eſt mauvais, plus chaud, ſa couleur d'un verd plus brun.* Flores & ſemen Junio & Julio perficit: hybernis menſibus intercidit.

§. IV.

Progredior nunc ulteriùs ad notas Plantæ noſtræ characteriſticas. Equidem mihi notum eſt, multos inveniri, qui notitiam hanc pro purâ contemplatione Philoſophicâ ventilant, quæ ad praxin Medicam planè nil conferat; tamen quia omiſsâ tali ſolidam plantarum dignotionem & cognitionem neutiquam acquirere poſſumus, congruum utique eſt, ut Medicus, quantùm quidem fieri poteſt, hac quoque

ſcientiâ imbutus incedat. Ad Umbelliferas igitur plantas Anethum pertinere, extra diſputationis aleam poſitum eſt. Quid flos Umbellatus ſit, nemini non conſtat; nempè talis appellatur polypetalos roſaceus, qui plurimis petalis in orbem poſitis conſtat, ſi ejus calyx abeat in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, ſibi invicem adhærentibus cum viridia ſunt, ſed disjunctis cum ad maturitatem pervenerint. His floribus ex CÆSALPINO, & J.B. cæteriſque proprium eſt, ut ſinguli pediculo inſideant, & in capitula quædam colligantur, pediculis longioribus innixa, quæ demùm ex eodem faſtigio orta, quadam veluti circinatione Corymbi vel Umbellæ (quâ mulieres ſolem à vultu arcere ſolent, *un Paraſol*) inſtar diſponantur. Eſt itaque ſecundum JOSEPHUM PITTON TOURNEFORT, *J. R. H. Cl.* 7. *Sect.* 4. *Gen.* 3. Anethum plantæ genus, flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus ovatis, planis, ſtriatis & marginatis. His notis addenda ſunt ex MORISONO & RAIO folia Fœniculacea; Semine foliaceo, foliis in tenuiſſima ſegmenta fœniculi æmula diviſis. A reliquis differt, inquit SAMUEL DALE, *in Pharmacol. ſeu Manuduct. ad Mater. Med. p.* 182. Eſt, de quo hìc agitur, Anethum hortenſe C. B. *Pin.* 147. Anethum J. B. 3. *Part.* 2. 6. *Dodon. Pemptad.* II. *p.* 296.

§. V.

§. V.

An noſtras verum legitimumque veterum ſit Anethum, nemo eſt Botanicorum qui in dubium vocet; cujus jam apud HIPPOCRATEM, *lib. 2. de Diæt.* §. 25. fit mentio dicentem: Anethum calidum & alvum ſiſtit, odoratuque ſternutamentum ſedat. Gradus autem caloris, ut verbis SIMONIS PAULI *Quadripartit. Botan.* utar, à nemine majori ſtudio quàm GALENO memoriâ traditos reperio, qui ſexto *Simpl. c.* 41. ſtatuit adeò excalefacere, ut habendum ſit aut ſecundi ordinis intenſi, aut tertii ordinis remiſſi; exiccantium verò ordinis ſecundi incipientis, aut primi finientis. Antequam verò ulteriùs ad uſum, quem in Medicinâ præſtat Anethum, pergamus, pauca de culinari dicere licebit. VIRGILIUS *in Alexi* condimenti loco Anethum uſurpâſſe teſtatur: confirmat id quoque Tabernæmontanus, qui de utilitate, quam in culinis habet eximiâ, ſequentia tradit: Es iſt das Dill-Kraut und ſein Saamen noch heutiges Tags in unſeren Küchen des Teutſchlands ſehr gemein/ und den Armen eine nützliche Würtz. Das grüne Kraut wird in Suppen und Gemüß nützlich gebraucht/ und gibt denſelben einen guten Geſchmack. Mit dem Saamen machet man die jungen Cucummeren ein; ſo brauchen ihn auch die Weiber zum Cappes-Kraut/ wann ſie das über Jahr zu brauchen einſaltzen; welches ihm nicht allein einen guten Geſchmack gibt/ ſondern es be-

nimmt ihm auch die Windigkeit / und machet es deſto verdaulicher. Deßgleichen wird der Saamen nützlich gebraucht / das Fleiſch damit einzumachen / und zu den Würſten / davon dann alle dieſe Speiſen einen anmüthigen Geſchmack bekommen / und auch deſto verdäulicher werden. In Summa / unſere Weiber und Köch können des Dills in ihren Küchen keineswegs entbähren. ETTMÜLLERUS dicit: Culinis nota eſt quam maximè hæc planta; & in modo laudati SIMONIS PAULI *Quadripart. Botan.* hæc leguntur verba: Umbellâ ſeu ſummitatibus Anethi cucumeres condiri vel coquis notum eſt.

§. VI.

Efficaciâ, quam culinis præbet Anethum, demonſtratâ, è re erit, de ejuſdem virtute Medicâ diſpicere. In uſum cedunt folia cum ſummitatibus atque ſemen. Conſtat tota planta ſale volatili oleoſo temperato, quapropter potenter diſcutit, digerit, & anodyna eſt; & quatenùs indè diſploſionem & rarefactionem naturalem promovendo vitioſam avertit, unum ex præcipuis carminativis audit; indè fit ſacculus ad flatus, nimirum ex ſummitatibus Anethi, chamomill. ſem. lini, carvi & furfure, id quod in vulgus notum eſt. Folia quoque atque flores eum quidem in finem quotidie ſolent miſceri clyſteribus carminantibus & anodynis. EMANUEL KOENIG in *Regno Vegetab. Quadripart.* hæc habet: In clyſteribus

uſurpatum flatus diſcutit, quos oleum quoque plerumque ingreditur Anethinum, præſertim ſi dolor colicus aut nephriticus inſomnes ægros teneat; ſolet etiam herba ex lecto eorum, qui ſomnum capere non poſſunt, quin & propter eorum lectos conopæis & velariis tectos aut veſtitos decoctum Anethi calidum apponi, ut illius halitu vaporeve repleantur, atque ita ſuavis artificialis ſomnus loco naturalis deficientis obrepat; cujus medicamenti longè tutior eſt uſus, quàm ſtatim ad fortiora narcotica, v. g. Philonium, pilulas de Cynogloſſa, Opium, aut laudanum opiatum pergere.

§. VII.

De uſu foliorum ita pergit ETTMÜLLERUS: folia ſunt uterina, & urinam & menſes provocant, & utrumque ſimul expurgant. Summitates ſeu folia ſuprema Anethi cum floribus ſunt uſitata in Cataplaſmatibus contra Catarrhos & capitis dolores. Lac itidem augent, tuſſimque profligant. Quibus viſus eſt debilis, nec veneri litare poſſunt, iis omninò eſſe abſtinendum Anetho Botanographi tradunt; volunt enim illorum oculos eo magis magiſque enervari, quâ de re MACER Poëta ita canit:

Aſſiduè bibitum viſum nocet, & genitale
Claudit iter, ſiccans humorem ſeminis intùs.

§. VIII.

Pro conciliando ſomno, folia & flores ſolent

coqui in pediluviis; facit itidem hoc modo uſurpatum Anethum ad profligandos capitis dolores per conſenſum cum inferioribus, & ubi inteſtina affligunt flatus. Applicatur quoque capiti externè ad ſomnum procurandum. Decoctum ejus, recenſente EMANUELE KOENIG, ſolo odore ſoporiferum eſt. PAULUS HERMANNUS, *in cynoſ. Mat. Med.* ſequentem nobis formulam dictitat: Recip. ſummit Aneth. q. v. coqu. ex ▽ papav. ſeu adde capita papaveris albi pro potu, ad ſomnum conciliandum. In mulierum quoque affectibus variis prodeſt, quapropter à nonnullis uteri ſolamen appellatur. Suprà laudatus NICOLAS DE VILLE ita dicit : *Sa décoction eſt bonne pour les femmes, qui ſont travaillées du mal de mere, en les faiſant aſſeoir dedans.* Suppurationem quoque tumoribus folia impoſita promovent, quâ de re Medicus clariſſimus Pariſienſis Dn. J. B. CHOMEL, *abregé de l'Hiſtoire des Plantes uſuelles*, plura habet, quem adire quis poterit.

§. IX.

Pro variâ quoque utilitate Anethi tota ſubſtantia in cineres redigitur. Uſtum dicit GALENUS, ulceribus admodùm humidis prodeſt, potiſſimùm iis, quæ in pudendo conſiſtunt; quæ verò in præputio ſunt inveterata, iis probè cicatricem inducit. Cinis ejus ulcera & cavitates penis inſperſus mundificat & curat; cum melle ſubactus, & cum turundis ulceribus indi-

tus, ulcere decocto myrtini priùs purgato, mirè juvat, ceu eo TABERNÆMONTANUS plurimos impuros juvabat, excreſcentias carneas in iis tollendo. Quâ de re iterùm MACER ſequentes habet verſus:

Ulcera præcipuè membri curare virilis
Dicitur iſte cinis infuſus ſæpiùs illis;
Rodit creſcentes cinis hic in vulnere carnes,
Vulnera quæ ſerpunt, & ſordida vulnera curat.

Hæmorrhagias, referente TABERNÆMONTANO, vulneri inſperſus mirificè compeſcit: Poſſet quidem credi, quod cinis deberet illam magis provocare ob Sal fixum; ſed reſpondetur, quod tale ſal fixum alcalinum quidem adſit, ſed quod deinde abſorbendo acidum, & extergendo vulnera, facit, ut eò meliùs à naturâ conglutinatio poſſit inſtitui, præſertim cum accedentibus partibus terreſtribus eò felicior contingat adſtrictio. Uvulam denique in faucibus, dicente PLINIO, levat.

§. X.

Ad vires nunc ſeminis accedens, illud quàm plurimas eaſque inſignes poſſidere extrà dubium eſt. Sunt verò, uti HERMANNUS habet, Anethi hortenſis C. B. P. ſemina foliacea & membranacea, orbicularia, compreſſa, in parte exteriore tribus ſtriis vel

ſulcis notata, ex atro virentia. Eliguntur recentia, ſucculenta, carie non eroſa, à pedunculis quoque benè repurgata. Colliguntur autem Autumno præſertim, & ad uſum exſiccantur. De his verò ejuſmodivè ſeminibus notandum, quod, uti TRAGUS *in ſtirp. hiſt. l.* 1. *c.* 151. dicit, ultrà quadriennium aſſervata viribus deſtituantur, vermiculis erodantur, & ad ſementem inutilia fiant. Audiamus hac de re THEOPHRASTUM ERESIUM in *hiſt. plant.* ita docentem l. 7. c. 6. ſeminum alia firmiora, alia infirmiora ſunt ad perdurandum; ſed inter ea quæ maximè durant, nullum ultrà quadrimatum durare poteſt, ità ſcilicet, ut ad ſementem adhuc utile ſit, ſed bima ſanè meliora, trima ferè nihil deteriora, &c. Id circà hæc ſemina adhuc obſervandum, nè vel nimis humida aſſerventur, quâ ratione putredinem poſſunt ſubire, vel nimis fortiter & nimio calore exſiccentur, nè partes nobiliores avolent, & ſic virtute ſuâ maximè priventur.

§. XI.

Conſtat hoc ſemen ſale volatili oleoſo aromatico, cujus ratione eſt egregium carminativum, & convenit contrà flatus, quando temperat moderatè acidum horum affectuum authorem. Virtutem poſſidet ſudoriferam, alexipharmacam & diureticam. Incidit, aperit, attenuat, diſcutit atque reſolvit. Hinc uſus ejus eximius eſſe poterit tempore morborum

malignorum atque contagioſorum. Condimentum quoque ferculorum exiſtit egregium, quapropter non ſine ratione Aroma Germanorum audit. Uſus ejus frequens itidem eſt in decocto pro potu ordinario; ſed cavendum nè ejuſmodi ſemina nimis coquantur, quoniam per iſtam coctionem protractam vis potior avolat; ſub finem itaque decoctionis demùm injiciantur.

§. XII.

Quum ſemen hoc particulis conſtet mobilibus, ſulphureo ſalinis & exhalabilibus, facilè concipitur, quomodò ſtomacho & inteſtinis ſuccurrere poſſit; calorem enim reſuſcitat, ſolutionem juvat aſſumptorum, fibraſque nerveas roborat. Digeſtionem ciborum promovet, quoniam motum aſſumptis inductum adauget, & partes ſanguinis mobiliores & ſubtiliores per arterias & nervos influentes recreat; acidas cruditates in primis viis, & indè natos flatus internè & externè potenter reſolvit & diſcutit; ob quas quoque rationes colicis pathematibus & convulſivis mirum in modum medetur, his à viſcido & pituitoſo acido atque acri oriundis, illis verò à flatibus præſertim dependentibus.

§. XIII.

Ad lactis copiam in nutricibus producendam haud abs ratione in uſum trahitur. Ejuſmodi enim ſe-

mina hoc præſtant, lactis materiam ad lactis officinas, ipſas nimirum mammas, provocando, ſanguinem attenuando, & vias ad mammas directas dilatando, aperiendoque. Nutricibus, referente SEBITIO, medicamentum erit convenientiſſimum, non tantùm ut copioſum, ſed ut laudabile lac habeant, corrigendo enim acidum, illudque amandando ad vias urinarias, ipſius maximum vitium, coagulationem intelligo, impedit, undè multa, eaque gravia tam ipſi nutrici in mammis, quam infanti in ventriculo & inteſtinis emanare poſſunt mala. Ad lac augendum multi usûs eſt ſequens remedium: Recip. Amygd. dulc. nucl. Pin. aā. ℥i. ſem. Aneth. ʒij. Petroſ. ʒi. ſacchar. aqu. Aneth. ſolut. q. ſ. fiant rotulæ.

§. XIV.

Sudorem & urinam provocat ſemen noſtrum, hinc in affectibus à colluvie ſeroſâ ortis optimè ſe gerit, lympham quippè vitioſam corrigit, & abundantem per renes atque ſudorem excernit; hydropicis hinc conducit, ut & in affectibus nephriticis, calculo præſervando, dyſuriâ, ſtranguriâ, iſchuriâ, pretioſum remedium exiſtit. Ad ſingultum curandum ſequens formula extat in HERMANNI *Cynoſ. Mat. Med.* Recip. ſem. Aneth. ℈ ß. Caſtor. gr. iij. L. O. gr. i. m. f. pulv. pro doſi.

§. XV.

§. XV.

Secundùm Wedelium in *Amœn. Mat. Med.* l. i. ſ. 3. c. 4. ſulphure blando volatili oleoſo vel aquoſo conſtantia ſunt thoracica, hinc inter talia jure meritoque refertur Anethum, particulis talibus ſcatens. Conſtat, inquam, ſulphure blando volatili, quod non tantummodò incidit & attenuat, ſed & demulcet atque roborat. Tuſſi propterea, aſthmati tam humorali quàm convulſivo & flatulento, orthopnœæ & raucedini mirè medetur. Prodeſt porrò in menſium obſtructione atque affectibus hyſtericis, in affectibus capitis, memoriâ confortandâ, tremore, paralyſi, vertigine tam ſympathicâ quàm idiopathicâ, cephalalgiâ, &c. quum enim partibus ſuis balſamicis, ſpiritibus noſtris amiciſſimis ſcateat, luculenter patet, quod inter remedia cephalica, cerebro ſpiritibuſque animalibus & ſyſtemati nervoſo accepta recenſendum ſit Anethum. Breviter uſus ejus reverà eſt polychreſtus. Ad morſus venenatos, aliavè venena aſſumpta ſequens nobis relicta eſt formula ab Antiocho Rege. Recip. ſem. Aneth. ℥j. Fœnic. Aniſ. Ammeos, Petroſ. Maced. aã. ℥ ß. ſem. Trifol. bitumin. Mil. Serpil. Erv. Gumm. Opopon. aã. ʒij. contund. in pulv. ſubtil. compon. maſſa cum vino quodam generoſo, ex quâ confice trochiſcoſ. dos. ʒj. cubitum eundo ſudoremque expectando.

§. XVI.

Satis jam, ut opinor, demonſtratus eſt hactenùs Anethi in medicinâ uſus; quem experimentis numeroſis atque variis, & particularibus hiſtoriis amplificare facilè poſſem; brevitatis tamen ſtudio id omitto, cum quilibet in Medicinâ vel leviter verſatus è prolatis ad cognatos affectus inductiones facere levi operâ poſſit. Reſtat itaque ut de præparatis ex Anetho nonnulla ſubjungam. Extabant olim ad varios uſus variæ compoſitiones, e. g. Anethites, ſeu vinum Anethatum, Anethina mulſa, aqua decoctionis ſeminis Anethi, Anethinum Unguentum, &c. quæ verò omnia hodierno die non ampliùs multum in uſum trahuntur. In officinis noſtris proſtat Primò. aqua Anethi ex integrâ plantâ; quoniam verò non tam grati ſaporis exiſtit ac illa fœniculi, inſuper vim ſuam præ illâ citiùs amittit, cum aqua fœniculi ſal ſuum temperatius diutiùs retineat, hinc uſus ejus tam frequens non exiſtit. Tabernaemontanus p. 169. ſuadet, ut aqua hæc calida in ore detineatur ad ſopiendos atque profligandos dentium dolores. Ad cruciatus capitis ſedandos linteis hac aquâ madefactis tempora obvolvuntur, monente eodem auctore l. c.

§. XVII.

Frequentioris eſt uſûs quod ſimul cum aqua obti-

netur oleum Anethi. Ita verò præparatur: Recip. ſem. Anethi contuſi quantum libet, cum aquæ fontanæ ſufficiente quantitate infundatur, poſteà deſtilletur per Veſicam, & liquor tam diu abſtrahatur, donec nullum oleum oculis noſtris ampliùs ſe ſiſtat; poſteà oleum ſeparetur per ſeparatorium ab aquâ. Notandum autem eſt, nè maceratio ſeminis juſto diutiùs protrahatur, quoniam particulis volatilibus avolantibus viribus ſuis orbaretur: recentia hinc potiùs ad deſtillationem uſurpant Pharmacopæi. Sunt qui ſuadent, ut ſalia addantur, & quidem eam ob rationem, ut vegetabile eo meliùs recludatur, & partes ſalino-oleoſæ volatiles ex compedibus eo faciliùs extricentur, de quâ verò ſalium admixtione leg. MOSES CHARAS *in chym. reg. c.* 16. Quidam putrefactionem ſeminis præmittunt deſtillationi, quam verò planè reijciendam arbitror; per hunc enim inteſtinum motum principia ab invicem magis ſeparantur, & ſalia ab oleo removentur & avolant, & licèt ſal aliquod obtineatur, & quædam oleoſæ partes remaneant, tamen illæ terreſtribus quoque partibus commixtæ nimis hærent, & ſic fœtidum odorem imprimunt, cum tamen gratum obtinere debeant olea deſtillata. Vid. quoque hac de re WEDELII *Pharm. in art. form. red. l.* 1. *ſ.* 3. *c.* 1. Deſtillationem per Veſicam inſtitutam illi per Mariæ Balneum eſſe præferendam, ſunt qui dicunt, qualem opinionem & ego foveo; verum enim eſt, quod ignis vis major ſit in veſicâ, quàm in M. B. ubi mediante duntaxat

aquâ calor communicatur, & quod in veſicâ major olei copia obtineatur. Legi hac de re meretur Dn. Le Mort *Chym. Med. Phyſ.* Hoc adhuc dicendum, quod deſtillatio lento igne ſit peragenda, quia nimirùm volatilior pars facilis eſt aſcenſu, hinc calorem moderari in principio oportet, nè impetu facto ἀθρόως ϗ βιαίως ſimul & ſemel confertim maſſa cruda irruat in alembicum, canalem ejus obſtruat, & totam deſtillationem reddat irritam; quod contingere poteſt in deſtillatione ſeminum & herbarum aromaticarum.

§. XVIII.

Ob partes ſalino volatiles atque ſulphureas magis explicatas, potentiores atque præſtantiores exerit præ ſimplici virtutes oleum hocce deſtillatum. In colicâ paſſione atque ſingultu egregias meretur laudes; audiamus hac de re Simonis Pauli verba, quæ ſic ſe habent: Solet oleum arte chymicâ ex Anetho confici, quod per os ſumptum in colicâ paſſione poſt clyſteris uſum, magnarum eſt virium; ex quo & ſaccharo Magiſterium Anethi cuivis conficere & inſtar ſecreti ad prædictos uſus, in multorum ægrorum commodum, ſervare licet: idem commendatur adversùs ſingultum; malo m. m. obſervata & Deo benedicente, certo experimento ſcitoque ſuccurrere, miſturam illam in *Annotationibus Crollianis* vobiſcum à ſocero meo p. m. Jac. Fabricio com-

municatam, quæ Recip. Aquæ Anethi, Cumin. aā. ℥iij. olei Aneth. Anis. Carv. Cumin. aā gtt iij miſc. cujus cochlear unum atque alterum vel paroxyſmi tempore vel etiam præſervationis cauſâ, jejunis manè & veſperi cubitum ituris propinare licet. EMANUEL KOENIG oleo hoc deſtillato ad gtt. IV. cum ol. Amygd. dulc. ℥ß. dato pertinacem ſingultum certò curari perhibet; teſtatur id quoque OTTO HEURNIUS. Poteſt etiam ad prædictos uſus Elæoſaccharum ex hoc oleo & ſaccharo componi, aſſumendo gtt. XII. & ultrà olei ad ℥i. ſacchari; quâ quidem ratione cum aqueis facilè miſceri poteſt; olea enim miſturam talem cum aquis per ſe non benè ſubeunt, niſi interveniente medio quodam: Jam in ſaccharo adeſt & oleoſa ſubſtantia & præcipuè etiam ſalina, quæ intimè ſe unit oleoſæ ſubſtantiæ, illamque ſecum etiam, dum in aquâ diſſolvitur, vehit.

§. XIX.

Oleum hoc deſtillatum pro uſu quoque externo inſervit. Sic applicatur externè pro conciliando ſomno, præcipuè ſi miſceatur cum unguento alabaſtrino. Notetur tamen quando debet eſſe ſomniferum, ut ſit recens, aliàs quando vetus eſt & rancorem acquiſivit conciliat potiùs vigilias. Qua de re quoque ETTMÜLLERUS *comment. in Danielis Ludovici traité du bon choix des medic.* ita inſit: *On recommande l'huile d'Aneth exterieurement pour énduire*

les temples & procurer le ſommeil, mais il faut qu'elle ſoit recente pour ces uſages anodins. Sequentem pro hoc ſcopo formulam nobis exhibet HERMANNUS *in Cynoſ. Mat. Med.* Recip. ol. pap. expr. ℥ß. ol. Aneth. gtt. xv. ungt. popul. ʒij. m. f. linimentum, add. L. O. ℈ß. ad ſomnum conciliandum.

§. XX.

Officinæ alunt quoque oleum Anethi coctum, quod ita præparatur: flores ſcilicet atque folia macerantur in ol. oliv. q. s. per triduum, denique coquuntur, & ad uſum hoc oleum ſervatur. Abdomini illitum dolores colicos inteſtinorum placat, habet vires carminantes, anodynas, & paregoricas. Et hæc ſunt, candide Lector, quæ de Anetho ejuſque viribus ex auctoribus ſeligere, & pro ingenii modulo exponere volui. Finio cum STIGELIO:

Aut mihi planta ſuis Numen demonſtrat in hortis,
Præſentemque refert quælibet herba Deum;
Aut operum ſeries Autorem tota recenſet,
Qui facit & læto cuncta vigore fovet.
Emicat ex ipſis Divina potentia campis,
Et levis eſt ceſpes, qui probat eſſe Deum.

Cui ſit Laus, Honos, & Gloria in Sempiternum.

FINIS.